Res. 4°
Eur
331
40

Cac 201.40

VDALRICHI ZASII ORATORIS & Iureconsulti oratio, Friburgi in funere D. MAXIMILIANI Imp. Aug. habita.

APVD INCLYTAM BASILEAM.

Bayerische Staatsbibliothek München

IO. FROBENIVS CLARISSIMO VIRO DN. IACOBO SPIEGEL IVRECONSVLTO S. D.

QVVM nuper hàc iter faceres Slestadiũ petiturus, ex collo quijs nostris ultro citróq; habitis, intelligere nobis facillimum fuit, quàm doluerit tibi MAXIMILIANI Cæsaris inopinatus obitus. Etenim si bonis omnibus ille luctui fuit, merito tibi dolorẽ attulerit, qui in intimis illius & consiliarijs & secretarijs eras, sed unice dilectus, nimirũ quod tuã operam ac fidẽ in arduis rebus crebro foret expertus: ut si quisq; de tanti principis morte dolere debeat, tu iustissimã doloris causam habeas. Nẽ pe quia de cõsuetudine natus amor, & firmior est, & maior, altiusq; radices agit. Porrò quo uiuẽtẽ impensius amamus, hoc impatientius uita functum lugemus. siquidem amoris magnitudini, tristitiæ uehementia plerunq; respondere solet. Itaq; clarissime uir, ut rursum tentaremus quod præsentes nuper parum fortassis sumus consecuti, diser^tissimi illius Zasij, communis amici nostri, in parentalibus Cæsaris Friburgi publice dictam orationem ad te misimus, quæ te consolaretur. Id quod tanto faciet efficacius, quanto ornatioribus uerbis fluit, & argumentis solidioribus nititur, ut ab arte mutuatis, quàm uulgo dici solet. Eam à quodam amiculo clam autore sublectam, quo tibi gratificaremur typis nostris excudimus. Speram^o eñ ubi ueras Cæsaris laudes & uitam Christiane exactam, ut ipse testis esse potes, à Zasio celebratas leges, te mœrere desiturũ. nam hanc optimam de mortuis consolationem puto, recte factorum recordationẽ: quæ sola faciunt ut illorũ obitum æquius feramus, cum in mentem uenit cœlestium præmiorũ quibus pij post exuta corpora donantur. Non quod hic noui sit aliquid quod tu ignores, qui sic Cæsarẽ domi perspexisti, ut, si uacet, integra historiarum uolumina de illo scribere possis, sed quod mœrentiũ mẽtes ubi dolori locũ dederint, plerunq; etiã quod sciunt, nesciant. Bene uale. Basileæ. Mense Maio. Anno M. D. XIX.

VDALRICHI ZASII ORATORIS ET IVREconsulti oratio, Friburgi in funere D. MAXIMILIANI Imp. Aug. habita. Anno M. D. XIX. VII. Eid. Febr.



VERAT sanè in primis dignũ generosi, nobiles, egregij, prudentes. & præstantissimi uiri, ut acerbum & lamentabilẽ istum occasum illustriss. & inuictiss. Cæsaris & Principis nostri MAXIMILIANI, quem omnes, ut par est, dolentissime ferimus, funebri oratione summi oratores, disserendiq; arte clarissimi uiri prosequerentur

querentur: quãdo tanta sit rerum dicendarũ copia, quæ nõ nisi à sũmis ingenijs tractari pro dignitate poterat, ut sic seni mihi mediocris alioqui doctrinæ homini uacare nõ iniuria licuisset. Sed quãdo id à me muneris nõ tam postulatum, q̃ iniunctum est (q̃uis parũ felici euẽtu ea res cesserit, ut qui superioribus annis sereniſſimæ reginæ Blancæ Mariæ, nunc illustrissimo nostro Principi eius marito funebria iusta persoluere sim coactus) obstrepere tamen nec potui, nec debebã, patrum em̃ iussis quomodo refragarer? Itaq; compresso paulisper dolore, in publicum lugubris tamẽ & mœstus prodeo, onus impositum uel qualicunq; sermone obiturus. Nec enim id ago, ut, quas ter maximus Princeps laudes meritus est, adsequi pergam, adeo tota mea oratio capita certe, & ueluti fastigia rerum complectetur, quædã breuibus absoluero, nec enim angustiæ temporis, & uel maxime doloris acerbitas prolixum esse sinẽt. Precor & obsecro, benignas sitis & aures & mentes adhibituri.

Sed quo me uertam? quid primum uel dicam, uel præteriero? Luctu omnia complere dolor iubet, ediuerso dicẽdi series ordinem postulat. Sed quis insumi ordo possit ea in re, in qua omnia sunt acerba, tristia, confusa, contorta, fletu, luctu, lamẽtis, lachrymis referta? An ignoramus adfectam mentem sicuti sibi ipsi nõ consistit, ita uariare omnia, alternare, miscere consueuisse? Cæterum ut priores partes diuo nostro Principi tribuamus, partim amor

amor, partim qualiscunque ordo efflagitat.

Qua in re non uidebor absurde facturus, si generis nobilitatem præmisero, quæ profecto, si ullis unquàm summis uiris splendida fuit, diuo nostro Principi splendidissima iure censeri debebit. Nemo enim est qui nesciat ab illustriss. Austriæ archiducibus diuum nostrum Cæsarē esse progenitum, quæ præcelsa domus, siue in Herculē, ut nonnulli, siue in Priamum, ut alij uolunt, sanguinis lineam referas, uetustissima est heroum prosata origine: quæ & ab ipso heroico seculo per plurimas ætatum successiones integerrimos, iustissimos, & omnino optimos principes, quod laudatissimum puto, produxerit, qui pro fide CHRISTI asserenda, sanguinem admirabili cōstātia effuderint, id quod pulcherrima eorum arma demonstrant, qui sanctitate uitæ in diuos relati sunt, & qui suorum saluti & commodis ita consuluerunt, ut beatum se quisq; existimarit, qui sub saluberrimas tantorū principum alas confugere, eorumq; uel manu subijci, uel fœdere iungi potuisset. Ab ijs principibus, à selectissimis illis uirtutum cultoribus, diui nostri MAXIMILIANI natales processisse, non potest non esse amplissimo præconio dignum. Quid enim prædarius fuerit, cū summa generis nobilitas, summis coniuncta uirtutibus?

Iam mirari cessabimus, qui fieri potuerit, ut tot innumeræ uirtutū dotes in nostro Principe reluxerint: quæ em̄ in nobilissimis maioribus suis ornamēta per partes

diffulserunt, ea collecta, & quadam generosi sanguinis propagata serie, in diuum nostrum principē se tota infuderunt, ut ita princeps genuina illa uirtutum semina propria illustrare animi rectitudine, insignibus factis proficere quodam naturæ impulsu contenderit.

Hinc eximia illa in CHRISTI religionē, Principis nostri deuotio & pietas, cuius ei summa semper ratio, summa autoritas fuit, quam & intentissimo ardore proferre desyderabat, incessata uigilātia conabatur. Erat in Christianæ fidei augmentum ita feruidus, ut per omnes uitæ suæ dies, nihil tam mente uersaret, quàm quo pacto, pacatis inter se principum simultatibus, inimici CHRISTI Turcæ profligarentur, suoq; ecclesia ornatui restitueretur. Quapropter diuina in laudatissimum principē demētia euenisse non dubitatur, quod sub eo, in eius præsentia sacrosancta saluatoris nostri toga, quæ trecentis & amplius annis Treueri latuit, reperta potius q; inuenta fuerit, ut sic non hominis industriæ, sed diuinæ dignationi hoc grande donum acceptum referatur. Deniq; qua in S. sedem Apostolicam ueneratione diuus Princeps noster fuerit, ex eo non obscure comprobatur, quod summus Pontifex non solum præ cæteris, tanquā uerum ecclesiæ assertorem unice obseruauit, sed insuper coronam Imperij, quod nullis ante Imperatoribus contigit, Augustam, quo loco celeberrimus erat principum conuentus, honestissima legatione demisit, pompaque

ceremoniarum

ceremoniarum exquisitissima Imperatorē coronauit.

Quod si de iustitia dicere perrexero, iam in immēsum nostra se oratio effundet. Ea enim uirtus cum ultro late pateat, & præsertim diui Cæsaris actus omnifariam sit amplexa, necesse fuerit, ut qui eam recensere uelit, omnē quoque Cæsaris uitam percenseat. Quod cum nō sit nostri instituti, multa prædara transeunda mihi esse uideo. Vno tamē hoc argumēto iustissimū fuisse liquido apparebit, cum enim uniuersi esset orbis Princeps, atq; ita solutus legibus, tanti tamē cōstitit ei esse iusto, ut ad exemplum optimi principis Theodosij, & legibus ipse se subijceret, ut contra legis æquitatem nihil unquàm sciens indulgeret. Vidimus nos ipsi, cum nonnulla ex principalibus rescriptis aduersus se extortis, grauari sese & premi quererentur, diuum Principem, uel contra propria diplomata accuratis etiam cautionibus munita, iustitiam administrari iussisse, qua dexteritate ne in Traiano quidem, quamlibet laudato principe, quicquàm prædicari possit illustrius.

Doctrina porrò diuus noster Princeps eminenti ornabatur, ut qui ingenio esset acutissimo, ad omnemque scientiam prompto. Memoria erat incredibili, nam & historias probatiores in numerato habebat, & per iuris Ciuilis capita, si quando necesse erat, erudite decurrebat: cum doctis uiris uaria certabat eruditione: proponebat quæstiones, & tam scite philosophabatur, siue moralia, siue

siue naturalia occurrissent, ut in nullo non literarum genere uersatum esse faterere. Hinc egregius ille in literatos fauor emersit, hinc præstãtia in uiros doctos collata præmia, quos tanti fecit, ut eos etiam quibus uel umbra, uel opinio doctrinæ fuerat, manu adiuuaret. Quæ res non mediocrẽ causam dedisse existimatur, ut in nostra Germania exposa barbarie, quæ ducentis & amplius annis fœda tyrannide patriã inuaserat & oppressserat, disciplinæ cultiores propè omnes pulchre introducerentur, feliciterq; increscerẽt, & magnum in modum amplificarentur. Non hic dico uariarum linguarum peritiam, quas Princeps noster ita habuit cognitas, ut aduenientibus plurimarum nationum, complurium regnorum legatis, siue Latine agerẽt, siue Gallice, Hispane, uel Italice, suam cuiusq; linguam, quod in Mithridate admiratur antiquitas intelligere, & sine interprete respon deret.

Quid dicam, qua integritate, qua prudentia, quo indefecto uigore uastam illam Rhomani Imperij molem sustinuerit? Ad hoc omnis sua intentio dirigebatur, ut publice & priuatim omnibus prodesset, omnium commodis intenderet, oppressos subleuaret, coërceret rebelles, bonos iuuaret, omnibusq; sua iura & æquaret, & æquo libramine distribueret. Erat tamen ad omnem moderationem ita compositus, ut nec à rectitudinis scopo deerraret, nec culpata seueritate efferuescceret, sed omnia suaui

quadam

quadam comitate temperaret, ut adeo non imperator, non dominus, sed patronus, sed pater patriæ per latos imperij fines nominaretur. In suas uero prouinciales domui Austriæ subiectos, qua fuerit clementia, qua benignitate, qua mansuetudine, qua fide, fletu magis q̄ uerbis ullis prædicari conueniet. Quod enim officij genus, humanissimus princeps nobis non impartiuit, quod nō maximum nostri amorem præstitisset? Vestram ô nobiles dignitatem quo studio defenderit, protulerit, auxerit, fortunata illa uestri ordinis cōditio pronunciat. Vos autem uos ò uiri Friburgenses, qua memorabili beneficentia, quo syncero fauore prosecutus fuerit: nemo q̄ uos ipsi prædicare uel possit uerius, uel cupidius uelit. Ciues suos fidelissimos nominare solebat, quoties de uobis loqueretur, & si qui male forte fauentes aquam suffundere frigidam, mētem ipsius auertere aggrederētur, constanti grauitate cōpescuit: ut interim præteream amplissimos Rhomani imperij conuentus, quos pro euidenti uestra utilitate, pro uestra immortali fama in hac ciuitate celebrauit: ut obmittam ciuilia uestra statuta, ad reipub. augmentum prudenter composita, qua animi promptitudine instaurari, suppleri, erigi, & confirmari curauerit. Nec minori adfectu famigeratam nostrā uniuersitatem fauentissimus Princeps fouendam suscepit, quam & singulari semper gratia adfecit, liberalicq̄ munificentia honestauit. Sic omnes suarum prouinciarū sub-

ditos ingenti beneuolentia, solidissima fide, & paterna omnino dilectione complexus est, eorum profectibus, commodis, quieti, & omnibus omnino fortunis uigilantissime prospexit, operosissime cõsuluit, omnem prouinciarum statum ita composuit, ut & optimatum dignitatem non minueret, & populares à potentum uiolentis, concussionibus tueretur, omnemq; ei tibiq; securitatem compararet, id quod nõ solum homines, sed ipsa etiam oppida & terræ, ipsa etiã pax placidissima protestaretur. Hinc factũ est, ut quoties in hæc nostra, aliáue prouinciarũ loca, desyderatissimus Princeps aduenire nũciaretur, effusi omnis sexus, omnis ætas, paruuli, iuuenes, senes, pendere, ex domibus, ex pergulis, ex protectis, ex suggrundis, uias, cõpita, diuerticula complere, ut benignissimũ principẽ conspicerent, cõmunemq; omniũ parentẽ uel gestu & nutu salutaret. Erat omniũ par lætitia, quando iucundissimo suo aduẽtu omnium salus aduenerat. Et hæc in toga.

In bellicis uero rebus, quantus fuerit, hic supersedemus, quando ea res modica concludi oratione non potest, sed iustũ uidetur opus exigere. Tametsi nemo ignorare possit rei militaris peritia, castrensium laborum tolerantia, amore in milites, robore, fortitudine, audentia, interrito in hostes cõgressu, glorioſis uictoriis insignem fuisse, & ita insignẽ, ut uix ullos dare uel fortissimos principes possis: quos Cæsar noster uel non anteierit, uel æquarit

æquarit certe.

Has prærogatas, has illustres aliasq; immensas Principis nostri dotes qui memoria repetierit: quomodo nō fatebitur honestissimum fuisse? Et in extremam usq; senectam uir tantus Christiano orbi præfuisset. Sed ò diram fatorum seriem, ò inexorabiles Parcas, ò immitem mortaliū sortē, moritur uirtutū decus, illa illa lucerna recti, quæ optimis semper exemplis præluxerat, extinguit, discessit è uiuis prouinciarum defensor, unicum Rhomani imperij columen concidit. Heu nos miseros; heu nos infelices, te uiuente diue MAXIMILIANE, in altissima sedimus tranquillitate, à te pepēdimus, à te constitimus. tu propugnator noster, tu asylum nostrum, tu unus eras nostræ salutis seruator, nunc lamentabili tuo occasu in dubium statum, in incertam, in calamitosam conditionē omnia abuertuntur. Nunc ut emortuū corpus quod tabore, quod sanguine, quod spiritu, quod anima orbatum est: proiecti iacemus inimicorumq; nostrorum insidijs, insultibus, prædis, incursionibusque exponimur. Quis à planctu se temperet? quis à fletu, à lachrymis, & ueris & spirantibus abstinere possit? Amisimus Principem fidelissimum, Principem quem olim posteritas admiratura potius sit, quàm alium unq; similē habitura.

Sed uideo præstātissimi, esse, quo respiremus, quo animum colligamus, nec enim tam uidemur desolati, quin meliora sperare liceat, quādo illustrissimus noster Prin-

ceps,non totus abierit: sed bonam sui partem, ornatissimos duos nepotes CAROLVM post se & FERDINANDVM,duo uirtutum decora reliquerit,utroscp potentissimos reges, in quorum fidem & synceritatem spes, fata,successus nostros collocare tuto & possumus & debemus.Denicp si meminerimus communem naturæ legem, quæ nobis iniuncta est: siquidem necesse sit uniuersa quæ orta sunt,rursum occidere,& ita necesse ut pro Senecæ sententia, is qui moritur nullo à nobis differat: nisi quod eò processit quò nos sequi oporteat, quando suus cuicp terminus est defixus,quẽ transire,quem egredi nemo possit: si præterea hanc qua uoluimur mortalem uitam expenderimus, quæ misera est, quæ caduca, quæ fragilis est, quæ uel momento durat, quæ pluribus est casibus obnoxia, ut quæ nihil sit aliud ẽp libertatis carcer,tentationum sentina,altrix cupiditatum,carnificina honesti,officina ægritudinum,omniscp infortunij diuersorium.Quæ si reuoluamus: credo à luctu abstinebimus,scientes frustra deplangi,quod reparari non potest,& simul existimantes,nõ infeliciter agi cum hijs,qui uirtutibus ornati,bonis referti operibus, mortem obierint, utpote quod calamitosam hanc uitam effugerint, & spe bonæ operationis aliti,finem optatum attigerint.

Diuus noster MAXIMILIANVS sexaginta iam annos & amplius multa cum laude uixit.Iuuentam honestam exercuit laboribus, uirilem ætatem illustribus factis

ctis adornauit, senium optimis muniuit cõsilijs, filios & filias pulcherrimam sobolem sustulit, quos & amplissimis illustres regnis uidit, uicissim aduersa compluria passus est: nouit quibus ærumnis uita mortalis agitaretur: & ita utranq; fortunam expertus, pari animi magnitudine utranq; sub iugum misit: nam nec periculis ullis nec cessit, nec succubuit, nec ulla felicitate intumuit.

Hoc felici progressu, laudatissimus Princeps ad constitutam omnibus metam decurrit: & cum glisc̃te iam ualetudine corporis uiribus destitueretur, infracto tamen animi uigore perstitit, imminentemq; sibi mortem interritus expectauit, quam & diuino, ut creditur, oraculo prænonitus, prædixit. testamento omnia quæ prouidenda fuerant, deliberate cauit. Sacrosancta ecclesiæ sacramenta, salutis nostræ uiaticum, deuotissime suscepit. Religiosis alijsq; honestæ uitæ conspicuis uiris septus, cum omnem seculi curam abiecisset, de cõtemnẽda morte, de uitæ miseria, de æterna beatitudine, de dei beneficijs pulchre disseruit, sicq; uitã sanctissime finiuit: & ut in uita fuerat omni modestia placidus, ita in mortis pugna, summa decedentis tranquillitas cernebatur.

Si igitur uirtus animi, si obseruatio recti, religionis, iusti, æquitatis cultus, si fides, si integritas, si quæ cum pietate aguntur, beatam precioſamq; mortem efficiunt, nihil est quod dubitemus, quin selecta illa anima, corporis nexum feliciter reliquerit, & ad cœlestes sedes sempi-

ternis fruitura gaudijs, rectà euolauerit.

Cohibeamus igitur uiri præstantissimi, cohibeamus lachrymas, cessemus à gemitu, mẽtem à luctu abstineamus, quin & felici animæ congratulemur, ne uel nostra doluisse causa, uel eius felicitati inuidisse uideamur. Dulcissimus noster Princeps & si fato ad momentum occubuerit, uiuit tamen, uiuit in cœlis æterna dei uisione beatus. uiuetq; apud posteros, rerum gestarum gloria. Siquidem præclarissimarum uirtutum memoria, nullo unquã tempore intermoritura, celebrabitur.

DIXI.

BASILEAE APVD IOANNEM
FROBENIVM MENSE
MAIO, ANNO
M. D. XIX.

